Sit omnibus notum. Quod Ego Petrus Ferrarii et ego Guillelma eius uxor de villa Calidarum de Monte bouio, volentes vobis Petro de Sala sabaterio dicte ville et vestris diligenter cum [illegible]
vobis et vestris proprio [illegible] de quibusdam domibus cum earum sitio ex abisso usque in celum et cum introytibus exitibus et omnibus juribus et pertinenciis earum, quas nos habemus et possidebamus in dicta v[illa] juxta [illegible] ipsius ville
et tenemus pro Raymundo de Calidis dicte ville ad censum viginti solidorum monete Barchinone de terno annuatim solvendorum in festo Resurreccionis Domini, et dictus Raymundus tenet predictas sub domino alodio reverendi domini Barchinonensis
Episcopi et venerabilis Ferrarii de Sancto Minato militis dominorum dicte ville pro indiviso, precio videlicet decem librarum monete predicte, quitiarum nobis a laudimio dictis dominis competenti, prout hec et alia in instrumento d[...]
vendicionis facto auctoritate notarii infrascripti, septimodecimo kalendas Decembris anno infrascripto lacius et plenius continetur et est de omnibus et singulis in dicto instrumento predicte vendicionis contentis. Ideo per nos et
nostros convenimus et promittimus vobis dicto Petro de Sala et vestris quod predictas domos cum omnibus melioramentis in eis factis vos et vestri faciemus vos et vestros et quos volueritis habere tenere et in pace perpetuo possidere.
Et quod tenebimur vobis et vestris semper de firma et legali eviccione earum. Et si forsan aliqua persona fuerit vel faceret contra vos vel vestros aliquo tempore questionem aliquam peticionem vel demandam juris
vel facti in judicio vel extra judicium in predictis domibus per nos vobis et vestris proprio venditis vel in aliqua parte earum vel racione aut occasione ipsarum. Convenimus et promittimus vobis quod in continenti cum a vobis
vel vestris inde fuerimus requisiti opponemus nos deffensioni vestri et vestrorum et quod respondebimus et satisfaciemus pro vobis et vestris cuilibet querelanti seu querelantibus. Et quod in principio litis suscipiemus in nos
omne litigium, et quod agemus et ducemus causam seu causas nostris propriis sumptibus et expensis a principio litis usque ad finem. Et quod vos et vestros servabimus super hoc omnino indempnes, vel vos aut vestri
si volueritis possitis ipsam causam seu causas agere et ducere per vos ipsos, et hoc sit in eleccione vestri et vestrorum. Nos enim remittimus vobis et vestris ex pacto necessitatem denunciacionis. Et si vos vel vestri
elegeritis tractare et ducere causam seu causas in propria persona vel per vestrum procuratorem, Convenimus et promittimus vobis quod restituemus et solvemus vobis et vestris ad vestram voluntatem omnes expensas quas
circa litem vel lites et extra litem seu lites fient et quicquid et quantum a vobis vel vestris evictum fuerit, cum omni dampno et interesse quod inde vos et vestri feceritis et sustinebitis quoquomodo sive
obtineatis in causam seu causas sive etiam succubueritis. Et credatur vobis et vestris super hiis missionibus dampnis et interesse plano et simplici verbo nullo alio probacionum genere requisito. Et pro predictis omnibus
et singulis vobis et vestris complendis tenendis et firmiter observandis, uterque nostrum insolidum obligamus vobis et vestris omnia bona nostra mobilia et inmobilia habita et habenda. Renunciantes quantum ad hec
nove constitucioni et beneficio dividende accionis et omni alii juri racioni et consuetudini contra hec repugnantibus. Et specialiter ego dicta Guillelma cerciorata plenarie de jure meo per notarium
infrascriptum renuncio quantum ad hec doti mee et sponsalicio et auxilio Velleyani senatus consulti et juri ypothecarum mearum. Et ut predicta omnia et singula majorem gaudeant firmitatem juramus
ambo sponte per Dominum Deum et eius sancta quatuor evangelia manibus nostris corporaliter tacta predicta omnia et singula attendere et complere tenere et observare et in aliquo non contravenire [...]
causa vel racione. Insuper ut de predictis omnibus et singulis vobis et vestris diligencius caveatur, sic damus vobis fidejussores Jacobum de Manleuo et Guillelmam eius uxorem dicte ville Calidarum [...]
utrumque eorum insolidum qui nobiscum et sine nobis vobis et vestris de predictis omnibus et singulis firmiter teneantur. Ad hec nos Jacobus de Manleuo et Guillelma eius uxor fidejussores predicti suscipientes in nos [...]
fidejussione et renunciantes quantum ad hec nove constitucioni et beneficio dividende accionis et epistole divi Adriani et legi sive juri dicenti quod prius conveniatur principalis quam fidejussor et omni alii juri racioni et consue-
tudini contra hec repugnantibus, uterque nostrum insolidum convenimus et promittimus vobis dicto Petro de Sala et vestris sub obligacione omnium bonorum nostrorum mobilium et inmobilium habitorum et habendorum de predictis omnibus et singulis vobis
et vestris firmiter teneri cum dictis Petro Ferrarii et Guillelma eius uxore et sine ipsis. Et ego dicta domina fidejubens renuncio quantum ad hec doti mee et sponsalicio et auxilio Velleyani senatus consulti
et juri ypothecarum mearum et beneficio Velleyani senatus consulti quo juvantur mulieres fidejubentes et alienam obligacionem in se suscipientes. Et hec omnia et singula ut superius continetur facimus promittimus et paciscimur
tam nos dicti principales quam fidejussores pro nobis et nostris vobis dicto Petro de Sala et vestris, necnon et vobis notario infrascripto tamquam publice persone hec a nobis pro vobis et omnibus illis quorum de predictis interest et intererit ac inde potest et
poterit paciscenti et recipienti ac etiam legitime stipulanti. Actum est hoc decimo kalendas Decembris anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quarto. Signum nostrum Petri Ferrarii. Signum nostrum Guillelme eius uxoris juratricis. Signum nostrum Jacobi de Manleuo.
Signum nostrum Guillelme uxoris eius predictorum qui hec laudamus concedimus et firmamus. — Testes huius rei sunt Bernardus Olivarii, Jacobus de Villa, Berengarius de Monte Alprario et Bernardonus de Casanova. —
Signum Jacobi de Fonte notarii publici Calidarum de Monte bouio pro venerabili Bernardo de Impuriis archidiacono Vallensis in ecclesia Barchinonensis qui hec scribi fecit et clausit cum litteris rasis et
emendatis in vicesima linea ubi dicitur ad et in vicesima tercia linea ubi scribitur [illegible]. Ego [illegible]